DISSERTATIO PHILOLOGICA INAVGVRALIS,

PARTEM ALTERAM SISTENS

ANTIQVITATVM OECONOMIAE PATRIARCHALIS,

VIDELICET

COMMENTATIONEM

DE

PATRIARCHARVM FAMILIA, HABITACVLIS, VICTV ET AMICTV:

QVAM

PRAESIDE

CHRISTIAN. BENED. MICHAELIS,

PHILOS. P. P. ORDIN. ET h. t. DECANO,

PRO CONSEQVENDIS SVMMIS IN PHILOSOPHIA

HONORIBVS AC PRIVILEGIIS,

A. CIƆ IƆCC XXIX. D. XV. IVL.

PVBLICO EXAMINI SVBIICIET

IOANN. DANIEL TAPKEN,

REGIOMONTE BORVSSVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE

TYPIS CHRISTIANI HENCKELII, ACAD. TYP.

VIRO

SVMME REVERENDO ATQVE DOCTISSIMO,

DOMINO

IOANNI IACOBO RAMBACHIO,

SACRO SANCTAE THEOLOGIAE PROFESSORI IN FRIDERICIANA REGIA PVBLICO ORDINARIO,

DE ECCLESIA ET REPVBLICA LITTERARIA MERITISSIMO,

PATRONO SVO AC PRAECEPTORI PIA DEVOTAQVE MENTE COLENDO,

EA QVA PAR EST OBSERVANTIA,

DISSERTATIONEM HANC

IN SVMMAE ET PERPETVAE OBSERVANTIAE TESTIFICATIONEM CONSECRAT

IOANNES DANIEL TAPKEN.



VIR
SVMME REVERENDE ATQVE DOCTISSIME,

A TVA eſt pietas, VIR OPTIME ET SVMME REVERENDE! vt, cum omnia ad SVMMI NIMINIS laudem & gloriam referas, malis de eccleſia, & iis, qui TIBI ſe commendant, præclare mereri, & recte humaniterque factorum conſcientia frui, quam ab vllo, multo minus a me laudari & prædicari. Ego vero de iis, quæ me potiſſimum ſpectant & ornant, poſſem plurima eaque maxima commemorare, qua fronte benigna me ad Academiam accedentem exceperis, quanto fructu lectionibus publicis priuatisque auxeris, quam denique fideliſſimis conſiliis confugientem ad TE tum ad ſinceram pietatem exhortatus ſis, tum ad augmenta optimarum litterarum capienda informaueris. Sed hæc

omnia

omnia, quæ laudum TVARVM amplissima mihi essent materia, iam cogor omittere, cum & digne a me ne recenseri quidem possint, & id etiam TVA modestia prohibeat. Quamobrem, quæcunque iam dudum fama de TE celeberrima, in animo meo excitauerat, & quæ dein confirmauit, & mirifice adauxit eximia TVA in me humanitas, hæc omnia maximæ in TE obseruantiæ & flagrantissimæ pietatis vocabulo comprehendam. Hanc vero licet in priuatis colloquiis, quorum copiam perbenigne mihi facere soles, declarare sæpius conatus fuerim, volui tamen publica quadam significatione, nempe Dissertatione, quæ Venerando TVO NOMINI inscripta apparet, prodere omnibus & explicare. Ex hac igitur, si animum meum, & voluntatem ad TE obseruandum & colendum propensissimam, agnoscere benigne volueris, tantis TVIS in me meritis adiicies cumulum, & me in laudandarum actionum via ad TVA & ceterorum Academiæ nostræ Venerandorum Patrum vestigia obseruanda & sectanda eo vehementius exacues. Vale, VIR SVMME REVERENDE, Ecclesiæ & litterarum rem diutissime felicissimeque ex omnium bonorum voto exorna, & me constanti TVO fauore complectere. Halæ die XIII Iulii CIↃ IↃ CC XXIX.

§. I.



Q. D. B. V.

§. I.



Emeſtre effluxit, ex quo de antiquitatibus œconomiæ patriarchalis philologicam diſſertationem publico examini ſubiecimus. Ac initio quidem tractationis illius noſtræ conſtitueramus, totum argumentum vna tantum diſputatione conſtringere: cum vero labor ſub manibus præter opinionem nobis creuiſſet, filum abrumpere, & quod materiæ illius reliquum erat, in aliud reſeruare tempus viſum eſt; ne prolixiore ſcriptione diſſertationis academicæ limites excederemus. Quamobrem, cum pro ſummis in philoſophia honoribus, ex ſuperiorum voluntate capeſſendis, ſpecimen inaugurale proponendum ſit, commodam nobis nacti eſſe videmur occaſionem, argumentum illud, quod ſuperiori diſputatione imperfectum reliqueramus, reſumendi, continuandi, & abſoluendi. Id ergo agemus in præſenti, vt, ad complendam patriarchalis œconomiæ ideam, quam animo noſtro complexi eramus, lectores cupidi de patriarcharum *ſeruis ſeruabusque, habitaculis* item, & *victu* atque *amictu*, quantum ſatis eſt, inſtruantur. Nec vero de ſingulis hiſce momentis alia temere dicemus, quam quæ

Ratio inſtituti, continuata de antiquitatibus œconomiæ patriarchalis tractatio.

ad illustrandam diuinam Mosis Genesin, & ad patriarchalis inprimis historiæ intelligentiam, videbuntur pertinere. Faxit Deus, feliciter, & ad legentium ædificationem!

Familia operariorum diversa, mercenaria & servilis.

§. II. Ampla fuit patriarcharum œconomia: quod superiori dissertatione §. XXIII. cum in designandis illorum opibus occuparemur, ostendimus. Ad eam igitur curandam & administrandam, opus habuerunt operariorum vtriusque sexus numero haud exiguo. Et vero hi, qui dominis in curanda re familiari, præter ipsorum liberos, adiumento sunt, duplicis esse generis reperiuntur: primo *mercenarii*, deinde *mancipia*. Ac *mercenarii* quidem, Hebræis nomine שכירים *conductorum* venientes, sunt qui pro mercede, quam pacti sunt, heris in certum tantummodo tempus suas addixerunt operas: at *mancipia* homines sunt dominis proprii, iique perpetuæ seruituti mancipati, Hebræis dicti עבדים ושפחות *serui & seruæ*, vel, quod perinde est, אמהות *ancillæ*. Caue enim, vbi in sacro codice *seruorum seruarumque* mentio fit, talem intelligas operariorum familiam, qualem hodie in plerisque Germaniæ locis, vbi seruitus abrogata est, vernaculo sermone *Knechte und Mægde* adpellare solemus, hoc est, liberam, & quæ pro definita mercede herilibus seruitiis in certos siue dies, siue menses, siue annos, adstricta sit: potius mancipia sunt, eaque vel adquisita bello, vel pretio emta, vel dono accepta, vel hereditate relicta, vel denique (*vernas* adpellare Latini solent) domi ex ancillis nata. De *mercenariis* hæc inter alia loquuntur Pentateuchi loca: Leu. XIX, 13. *Ne pernoctare sinas mercedem operis* (שכיר) MERCENARII *apud te vsque mane:* & Deut. XXIV, 14. 15. *Ne vim inferas* MERCENARIO; - - *die suo mercedem ipsius dato, nec super ea sol occidito,* cetera. Et ab his mercenariis satis dilucide mancipia distinguit Moses, dum Leu. XXV, 39. seqq. nomine ipsius Dei loquens, populo Israelitico, *quodsi,* inquit, *ad paupertatem redactus fuerit apud te frater tuus, & tibi vendiderit sese; non vteris eo, vt* SERVO: *vt* MERCENARIVS, *& vt inquilinus erit*

apud te. - - Quoniam ferui mei funt, quos eduxi e regione Aegypti: non vendentur venditione MANCIPII. *A gentibus vero, quae circum vos funt, ab illis,* inquam, *emetis* SERVVM ATQVE ANCILLAM, cetera.

§. III. Non quidem eft vero abfimile, patriarchali aeuo mercenarias hominum liberorum operas in familiaris rei administratione fubfidio fuiffe: inprimis vbi oeconomia fixo adftricta fuit loco; non vero migratoria, & tralatitia, vt Abrahami, Ifaaci, Iacobi. Sic enim Iacobus ipfe auunculo fuo ac poftmodum focero Labano, annos bis feptem pro vxoribus fuis, Lea & Rahela, mercenarii loco feruiuit, Gen. XXIX, 18. feqq. Et eadem fuit procul dubio conditio Mofis, cum ducta Iethronis filia, foceri pecus, non fuum ipfius, in Midianitide ac vicinis defertis pauit, Exod. II, 21. & c. III, 1. Sed & Iobi tempore, qui a patriarcharum aetate quam proxime abfuit, fixasque habuit in Aufitide regione fedes, praeter feruos feruasque, conductitios quoque operarios in vfu fuiffe, ex Iob. VII, 1. 2. & c. XIV, 6. vbi tum feruos tum mercenarios commemorat, haud temere colligimus. Fatendum eft tamen, eos patriarchas, de quibus nos maxime agimus, hoc eft, Abrahamum, Ifaacum, Iacobum, & quorum in Genefi fit mentio, mancipiis potisfimum in oeconomiis fuis vfos effe. Etenim, cum fit in hiftoriis illorum altum de *mercenariis* filentium, celebris contra *feruorum feruarumque* mentio eft: v. g. in rebus Abrahami Gen. XII, 16. c. XXIV, 35. Ifaaci Gen. XXVI, 14. & Iacobi c. XXX, 43.

Patriarchae mercenariis quidem aliquando, potisfimum vero feruis in oeconomiis fuis vfi.

§. IV. Habuit autem patriarchalis oeconomia in feruorum & feruarum adparatu multum prae mercenariis operis commodi. Id quod rationibus, tum communibus, tum fingularibus, demonftrari poteft. Etenim quod ad illas, negari nequit, feruorum familiam dominis fuis multo magis, quam conductitios operarios, ad obfequium effe obftrictam, multoque magis pendere ab illorum imperio & nutu, paratam omni tempore iuffa facere, nec faftidiofam laborum, fiue vilio-

Familia feruilis patriarchali oeconomiae adcommodatior, quam mercenaria.

 rum,

rum, ſiue duriorum. Et meminimus, *Wilhelmum* Baronem *a Schrœder* in Oeconomico ſuo, cui titulum fecit *Fürſtliche Schatz-und Rent-Kammer*, quæſtionem, num ad promouendam agriculturam, & rem omnem ruralem, expediat, ſeruitutem apud Germanos in vſum reuocare? adfirmauiſſe; hac tamen ſub conditione, ſi adhibeantur barbari, ex. gr. Mauri Africani; vtpote qui ad ſeruitutem videantur nati, & liberos ſuos ad ſeruitutem ipſi vendere haud dubitent. Sic enim exiſtimat, omnia parabiliore pretio conſtitura eſſe, cum quod merces nulla mancipiis ſit danda, tum quod ſerui viliore victu alantur, & tolerandis durioribus laboribus adſueti ſint. Nos quidem quæſtionem hanc aliis lubenter decidendam relinquimus, qui, ſicut libertatem tanquam diuinum donum ipſi æſtimamus, ita aliis, vel ſtudioſe retinentibus, vel legitime quærentibus, haud inuidemus. Sufficit nobis, adlatis tum rationibus, tum auctoritate viri œconomicarum rerum peritiſſimi, oſtendiſſe, commodas omnino dominis eſſe ſeruitutes. Quod vero in præſenti ſingulariter attendendum eſt, patriarchalis œconomia migratoria fuit, & cum patriarchis ipſis heic illic incertis ſedibus oberrauit; ex Vra Chaldæorum in Carras Meſopotamiæ, hinc in Cananæam, atque ex Cananæa in Aegyptum delata, in Cananæa ipſa denique non vni adfixa loco, ſed inſtabilis ac multiuaga: quo quidem ſtatu rerum facile eſt reputatu, quam difficile patriarchis futurum fuiſſet, vbiuis locorum mercenarios reperire tum fideles & commodos, tum ſufficienti numero; ſicuti contra ſerui, quocunque tenderent heri ſui, eis indiuulſo nexu coniuncti manſerunt, ſecundum illud Iureconſultorum, *Acceſſorium ſequitur ſuum principale.*

Seruitutis origines atque cauſſæ: tum ante, tum poſt diluuium.

§. V. Hoc loco, vbi iam patriarcharum ætati familias ſeruorum adſerimus, non inutile fuerit, aliquam enodare quæſtionem, nempe quæ fuerint ſeruitutis origines atque cauſſæ? Prima & antiquiſſima eius mentio occurrit Gen. IX, 25. vbi Noachus, ex crapula ſua expergefactus, cum reſciuiſſet, quid ſibi filiorum natu minimus feciſſet, *Maledictus ſit*, inquit, *Ca-*

naan:

naan: SERVVS SERVORVM *fiat fratribus suis!* Quamuis autem tum, cum Noachus hæc proloqueretur, hoc est, temporibus a diluuio proximis, nullæ videantur fuisse seruitutes, sed communis originis memores vna omnes habitauerint, liberi, & æquali conditione gaudentes; tamen, nisi seruitus iam ante diluuium inuecta fuisset, vix credibile est, Noachum eius, tanquam suo æuo adhuc incognitæ, mentionem facturum fuisse: quia rerum nondum exsistentium sicut ideæ, ita vocabula nos deficiunt. Non puto igitur fallemur, si originem seruitutis ante diluuium quæsiuerimus; cum *Nephilæi*, hoc est, homines bellicosi & fortes, iique rerum gestarum fama celebratissimi, ab inuasionibus & irruptionibus hostilibus nomen hoc consecuti, *iam tum in terra exstiterint*, Gen. VI, 4. & ab illis *terra vi iniusta oppleta fuerit* v. 11. 13. Nec enim ab iniusta vi alienum est, alios, quos bello deuiceris, in seruitutem redigere: siquidem (vt paulo post cognoscemus) nomen ipsum *seruorum* inde natum est, quod captiui, seu bello capti, solerent vendi, & per hoc *seruari*, ne occiderentur. Eadem autem vis, quæ iam ante diluuium grassata erat, post illud recruduit, cum hominum genus in varias diuidi colonias cœpisset: videlicet tempore Nimrodi, de quo dicitur Gen. X, 8. 9. *Is cœpit esse potens in terra: is fuit potens venatione coram Domino.* Id enim de oppressione & captiuatione aliorum dictum intelligi, sequentes docent versus 10. & 11. in quibus regni ab eo adquisiti tum initium tum progressus exponitur: nempe venationibus ferarum ambitiosus homo gradum sibi fecit ad venandos homines; sicuti Christus (quanquam bono sensu) discipulos suos ex piscatoribus piscium *hominum piscatores* fecit Matth. IV, 19. Hæc prima forte fuerit seruitutis caussa atque origo: quam alia postmodum excepisse videtur, videlicet paupertas; cum (vt IO. CLERICVS Comm. ad Gen. IX, 25. obseruat) multi, qui vnde viuerent non habebant, nec comparare sibi aliunde, quam aliis seruiendo, poterant, libertatem suam victus caussa addixerunt. Inde quoque nati *vernæ*,

 serui-

feruili conditioni, ipfa nafcendi forte, mancipati funt. Vere igitur IVSTINIANVS lib. I. Inftit. tit. III. de iure perfonarum: *Seruitus eft conftitutio iuris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam fubiicitur. Serui autem ex eo adpellati funt, quod imperatores captiuos vendere, ac per hoc feruare, nec occidere folent. Qui etiam mancipia dicti funt, eo quod ab hoftibus manu capiuntur. Serui autem aut nafcuntur, aut fiunt; nafcuntur ex ancillis noftris; fiunt aut iure gentium, id eft, ex captiuitate, aut iure ciuili, cum liber homo maior viginti annis ad pretium participandum fefe venundari paffus eft.*

Abrahami & Loti Charanenfes ferui Gen. XII, 5. qui locus explicatur.

§. VI. Vt ad patriarchales feruos reuertamur, illorum numerum, pretio paratum fuo, Abrahamus Lotusque Charane, feu Carris Mefopotamiæ, vna cum reliquo peculio fuo, fecum in Cananæam duxerunt. Id quod recte videmur colligere ex his verbis Gen. XII, 5. *Sumfit Abramus Sarain vxorem fuam, & Lotum, fuum ex fratre nepotem, omnesque facultates fuas, quas adquifiuerant,* ואת הנפש אשר עשו בחרן ET ANIMAS, QUAS FECERANT CHARANE, exiueruntque, vt in Cananæam *proficifcerentur.* Nec enim heic adfentimur illis interpretibus, qui (vt IO. CLERICVS Comm. ad l. c. bene iudicauit) fubtiliores æquo, & auctoritate Scripturæ & grammaticæ deftituti, verba ifta de his, quos religionem veri Dei docuerint Abramus & Lotus, explicant. Ex horum numero paraphraftes Chaldæus ONKELOSVS verba modo memorata fic reddidit: *& animas, quas legi feruire fecerant Charane.* IONATHAN vero, ac interpres Chaldæus HIEROSOLYMITANVS: *& animas, quas profelytos fecerant Charane.* Quomodo & SAL. ISAACIDES Comm. ad l. c. *Animas*, inquit, *quas collegerunt fub alas Schechinæ*, feu Numinis; *Abrahamo viros, Sarai vero mulieres faciente profelytos.* Recte tamen fubiungit: *Secundum litteralem Scripturæ fenfum verba illa de feruis atque feruabus Charane adquifitis intelligenda funt.* ANIMA enim, vt generatim *perfonam*, fic fpeciatim *mancipium* Hebræis per fynecdochen defignat: vt quum Ezech. XXVII, 13. Iones, Tibareni ac Mofchi commercia dicun-

cuntur exercuisse cum Tyriis בנפש אדם *in animabus hominum*, hoc est, mancipiis; & quum ad imitationem huius loci & locutionis, Ioannes Apoc. XVIII, 13. in mysticæ quoque Babylonis mercibus ψυχὰς ἀνθρώπων, *animas hominum*, eodem significatu, commemorat. Nec latinis auribus phrasin hanc prorsus insuetam esse, ille TACITI locus lib. IV. Hist. c.32. credibile nobis facit: *Vos autem Treueri & ceteræ seruientium animæ.* Verbum vero עשה FACERE, quo Moses vtebatur, idem aliquando est, ac *parare*, *comparare*, *adquirere*: vt cum Gen. XXXI, 1. *De eo, quod patris nostri est*, inquiunt filii Labani, *fecit*, id est, parauit Iacobus *omnes opes* has; & cum Ezech. XXXVIII, 12. *faciens* dicitur pro adquirente *pecus atque peculium*. Quomodo & Latinis apud TERENTIVM dicitur, *tu rem nunquam facies*, pro, adquires; & apud NEPOTEM in Cimone, *qui magnas pecunias ex metallis fecerat*, pro, comparauerat, redegerat. Vt adeo *animæ*, *quas fecerant Charane*, nihil sint aliud, quam mancipia pretio ab Abrahamo & Loto illic emta. Et mancipiorum quidem copiam præbuit Syria omnis, tum cis Euphratem, tum Mesopotamia, in qua Charan sita fuit: vnde apud Romanos *Syri seruituti* credebantur *nati* esse, quemadmodum pluribus ostendit IO. CLERICVS Comment. in Genes. XXXII, 5. Ex iisdem vero Charanensibus Abrahami seruis etiam fidus ille & hero suo tantopere deamatus *Eliezer* fuisse videtur. Etenim vocatur is Mosi זקן ביתו *senior domus Abrahami* Gen. XXIV, 2. vnde colligimus, eum ex *primis* Abrahami seruis fuisse: deinde, vti Charanense oppidum in Aramæa seu Syria intra Euphratem situm, sic & Eliezer ex *Damasco*, vrbe nobilissima Syriæ, quanquam extra Euphratem, oriundus fuit, Gen. XV, 2.

§. VII. Porro hunc Charanensium mancipiorum numerum Abrahamus maiorem in modum auxit, tum in Aegypto, quo propter famem Cananææ grauem concessit aliquando, tum in Cananæa ipsa. Prius adsertionis nostræ membrum liquet ex Gen. XII, 16. vbi, *Abrahamo benefactum est*, inquit Moses,

Patriarcharum serui vel donatitii, vel emtitii, vel vernæ, vel hæreditarii.

Moses, *propter Saram; & obtigerunt ei pecudes atque armentum, & asini,* SERVI ITEM ET ANCILLAE, *asinæ & cameli.* Nec est improbabile, ex his mancipiis Aegyptiacis, a Pharaone donatis, *Hagaram Aegyptiam*, ancillam Saræ, fuisse c. XVI, 1. Posterius vero membrum patet pariter, cum ex Gen. XX, 14. vbi Philistæorum rex Abimelechus pecudibus, armento, *seruisque & ancillis* Abrahamum donasse legitur; tum ex c. XIV, 14. vbi iam isto tempore, quo Cedorlaomerus, iunctis sibi fœderatis regibus, irruptionem in Cananæam fecerat, ad persequendum eos Abrahamus eduxit את־חניכיו ילידי ביתו *instructos*, seu *initiatos suos, natos domi suæ*, id est, vernas, & per synecdochen seruos, numero *trecentos atque octodecim.* Pertinet huc quoque, quod Gen. XXVI, 14. de Isaaco dicitur, *fuisse ei* עבדה רבה *seruitium multum*, seu, vt Latinus interpres vertit, *familiæ plurimum*, posito abstracto loco concreti; inprimis si conferantur v. 19. 25. 32. vbi *seruorum Isaaci* iterata mentio; prout superiore Dissertatione §. VII. ostendimus. Item quod de Iacobo in Mesopotamiis agente legimus Gen. XXX, 43. *Habuit pecudes multas, & ancillas seruosque*: & quod Iacobus ipse Esauo fratri nunciari iubet c. XXXII, 6. *Obtigerunt mihi boues & asini, pecudes, seruique & ancillæ.* Quodsi hactenus dictorum summa subducatur, Patriarchæ quidem mancipia sua triplici potissimum possederunt titulo: primo *donationis*, v. g. Abrahamus partem aliquam familiæ suæ ex liberalitate Pharaonis & Abimelechi, vxoresque Iacobi ancillas suas Zilpam Bilhamque, vtpote quas Laban filiabus suis, Iacobo locatis, occasione nuptiarum dedit c. XXIX, 24. 29. deinde *emtionis*, v. g. Abrahamus atque Iacobus Charanenses suos, seu Mesopotamios; ac denique *natiuitatis*, quos ex ancillis natos habuerunt. Hos adpellaueris ילידי בית οἰκογενεῖς, *natos domi*, illos מקנת כסף *emtionem argenti*, hoc est, *emtitios*, ex Gen. XVII, 12. 13. istos נתונים [נתינים] seu נתינים *Nethinæos*, id est, *donatitios*, seu *dono datos*, ex Ezr. VIII, 17. 20. Addimus tamen & *hæreditatis* titulum: quia Gen. XXIV, 65. atriensis Abra-

Abrahami, cum ex Meſopotamia redux Iſaacum in agro obuium ſibi haberet, ſciſcitanti Rebeccæ, quisnam ſit vir ille, reſpondet: הוא אדני *Is eſt dominus meus*; coll. v. 36. & c. XXV, 5.

In Patriarcharum ſeruis eminuit atrienſis ſeu villicus.

§. VIII. In his patriarcharum ſeruis vnus præcipue eminuit, quem ſiue cum Latinis *atrienſem* vel *villicum*, ſiue cum Græcis ἐπίτροπον vel οἰκονόμον adpellauerimus, non errabimus, puto. *Atrienſes* quidem ſerui Romanis proprie dicti, quod atrium tuerentur; iidem vero præ ceteris ſeruis in magno fuerunt honore, & in familia tota plurimum potuerunt: vti pluribus oſtendit LAVR. PIGNORIVS de ſeruis p. 227. ſeqq. *Villici* item adpellati ſunt, tum villæ ruſticæ præpoſiti, tum qui vrbanæ familiæ loco dominorum præeſſent; aliis quoque nominibus dicti *monitores*, *diſpenſatores*, & *procuratores*: vti idem PIGNORIVS p. 267. nos docuit. Porro in Gloſſario veteri *villicus* Græce exponitur οἰκονόμος *diſpenſator*, (puta, vrbanus,) & ὁ κατ' ἀγρὸν οἰκονομῶν *villæ ruſticæ præfectus*. Et denique ἐπίτροπος, quem vocant Græci, dignitate & auctoritate a reliqua ſeruorum turba diſtinctus fuit: vnde ARISTOTELES Oeconom. lib. I. c. 5. δούλων εἴδη δύο, ἐπίτροπος, καὶ ἐργάτης, *ſeruorum genera duo ſunt, procurator* ſiue *villicus, & operarius*; nempe ille mandat, ac dirigit operas, hic vero illius imperata facit.

Atrienſis Abrahami Eliezer, qua ratione Damaſcus ſeu Damaſcenus ſit adpellatus, idemque οἰκέτης, filius diſcurſationis domus, & ſenior domus, Gen. XV, 2. 3. 4.

§. IX. Talis igitur atrienſis, vel villicus, fuit in Abrahami familia *Eliezer*, isque tanta apud herum ſuum gratia valens, vt hic, ſi ἄτεκνος moriturus fuiſſet, eum bonorum ſuorum hæredem inſtituere decreuiſſet, Gen. XV, 2. 3. 4. dignus proin, de quo nonnulla adhuc moneamus. Primo enim is l. c. nominatur דמשק אליעזר, quaſi *Damaſcus Eliezer*; ſed dubium vix eſt, quin דמשק *Damaſcus* poſitum ſit pro דמשקי *Damaſcenus*, vel, quod eodem recidit, מן דמשק *e Damaſco* oriundus; plane vt 2 Sam. XXIII, 24. Elchanan filius Dodonis vocatur בית־לחם *Bethlehemum*, pro בית־לחמי *Bethlehemita*, vel מבית־לחם *e Bethlehemo*, quod exſtat in parallelo 1 Par. XI, 26. Interim patronymicum illud, *Damaſcenus*,

nus, non ſolum cum proprio ipſius nomine *Eliezer* coniungitur, ſed & præponitur ei ; perinde ac ſi & ipſum nominis perſonalis indolem induiſſet, cui ſequens illud *Eliezer* tantummodo ſynonymiæ cauſſa adiectum eſſet. Forte eius rei rationem dare potuerimus ex VARRONE lib. VII. de L. L. vbi a regionibus vrbibusue nomina ſeruis impoſita eſſe docet: *Sic tres cum emerunt Epheſi ſingulos ſeruos, nonnunquam alius declinat nomen ab eo qui vendit Artemidorus, atque Artemen appellat: alius aut ab regione, quod ibi emit, ab Ionia Ionem: aut ab vrbe Epheſo Epheſium.* Vide PIGNORIVM de ſeruis p. 39. Deinde adpellatur is quidem v. 3. בן ביתי *filius domus meæ*, hoc eſt, οἰκέτης, domeſticus, familiaris, ſeruus meus; qui titulus ipſi cum reliquis heri ſui ſeruis communis fuit; at eidem mox v. 2. audit בן משק ביתי *filius diſcurſationis domus meæ;* quod nomen eum a conſeruis ipſius diſtinguit. Dictus autem ita eſt a שקק *diſcurſando*, ſeu *obeundo*, quod, ſicut ipſum patrem familias, ita œconomum, ſeu atrienſem ſeruum, deceat, omnes adminiſtrationis ſuæ partes, & omni tempore, frequenter circumire, quo omnia contempletur, nec ignoret, quidquid recte fieri poſſit ac debeat. Vocatur is porro זקן בית אברהם המשל בכל אשר לו *ſenior domus Abrahami, qui dominabatur omnibus quæ erant ei*, Gen. XXIV, 2. Quod de ætate Eliezeris heic legitur, id ſtationi ac muneri eius apprime convenit. Nec enim decebat eum, qui familiæ dominicæ epiſcopus erat, imberbem eſſe ac iuuenem. Rationem doceat COLVMELLA, qui lib. I. de re ruſt. c. 8. præcipit: *vt is*, qui villicus inſtituendus eſt, *iam transſcenderit ætatem primæ iuventæ, ne auctoritatem detrahat ei* Dominus *ad imperium, cum maiores dedignentur parere adoleſcentulo.* Optandumque foret, vt huic regulæ œconomicæ, quam decorum & prudentia firmant, vbique, etiam in principum aulis curiisque, & in ipſa eccleſia, quæ domus Dei eſt, locus quantum pote daretur. Quæ autem COLVMELLA ibid. paulo poſt in villico ſuo requirit, *nec tantum*, inquiens, *operis agreſtis ſit artifex, ſed & animi*

nimi, quantum seruile patitur ingenium, virtutibus instructus; ea Eliezer non solum adæquasse, sed penitus superasse censendus est, si quidem virtus pietasque eius, Gen. XXIV. luculenter descripta, reputetur. Adeo, vt vel hinc œconomica Abrahami prudentia dilucidior fiat, quod tam dignum familiæ suæ præfecerit rectorem ac villicum.

Talem atriensem Iosephus egit in domo Potipharis Gen. XXXIX, 4. & habuit postea vicissim in sua domo c. XLIII, 16. 19 c. XLIV, 1. 4. 9. 10. quod postremum comma vindicatur ab interpretamento Clerici.

§. X. Quod Eliezer in domo Abrahami, idem posthac Iosephus, Iacobi filius, in domo & familia Potipharis Aegyptii fuit. Hic enim, vt auctor est Moses Gen. XXXIX, 4. *præfecit Iosephum*, a Midianitis sibi venditum, *domui suæ*, (Paraphrastæ Chaldæi *Ionathan* & *Hierosolymit.* verterunt id ומניה אפטרופוס על ביתה: *constituit eum* ἐπίτροπον *super domum suam*;) *omniaque sua in potestate eius posuit.* Plane vt Eliezerem dixerat *dominatum fuisse omnibus quæ erant Abrahamo* c. XXIV, 2. videlicet non propria quidem, attamen ab hero suo accepta potestate: quia villicus in locum domini successit, indeque vicedomini nomen nactus est aliquando, tradente PIGNORIO p. 267. Et talem ἐπίτροπον, seu procuratorem, vicissim habuit Iosephus, cum ad summos a Pharaone honores euectus fuisset. Vocatur is enim Gen. XLIII, 16. 19. & c. XLIV, 1. 4. האיש אשר על בית יוסף *Vir ille, qui præerat domui Iosephi.* Qui quanto in honoris ac dignitatis gradu fuerit, vel ex hoc liquet, quod fratres Iosephi c. XLIV, 9. *& nos quoque*, inquiunt ei, *erimus domino meo serui*; & quod ipse, conditionem ex parte accipiens, v. 10. ait: *apud quem repertus fuerit scyphus, is mihi seruus erit.* Ad quem locum *Io. Clericus* in Comm. hæc quidem adnotauit: *Quando dicit*, IS MIHI SERVVS, *heri nomine loqui videtur; neque enim atriensis hoc sibi iuris tribuisse, vt ipse seruos haberet, qui heri furati essent vtensilia, verisimile est. Sed quando quis alterius nomine agit, ita eius personam induit, vt perinde ac ipse loquatur.* Sed, quod non dissimulamus, hoc interpretamentum displicet nobis, & tale est, vt loca V. T. quæ de angelo Dei increato agunt, pari modo peruerti possent. Atqui sicut fratres Iosephi, dicentes v. 9.

 & v. 16.

& v. 16. *erimus domino meo serui,* non Iosephi personam, sed ipsum atriensem eius innunt; ita & atriensis, vbi dicit, *apud quem repertus fuerit scyphus, is mihi seruus erit,* pariter non heri sui, sed suam ipsius personam agit: ac ideo quidem pro auctoritate & imperio loquitur, quod is *præesset toti domui Iosephi* v. 2. 4. & (quod de villico Abrahami c. XXIV, 2. dicebatur) *dominaretur omnibus quæ ipsi erant.*

Pietas, fomes industriæ seruilis, adiunctam habens singularem Dei benedictionem.

§. XI. Ceterum cum prosperitas & incrementa rei familiaris a fide, industria & dexteritate familiæ magnam partem pendeant; & vero familiæ fidem, industriam & dexteritatem nihil æque excitet, conseruet, alatque, quam timor Numinis: beatus igitur prædicandus paterfamilias, cui serui seruæque obtigerunt ii, quibus agendi principium & fundamentum sit pietas. Horum enim seruitia talia prorsus erunt, qualia a piis servis exigit Apostolus Eph. VI, 5-8. & Col. III, 22-25. nempe cum timore & tremore, in simplicitate cordis, veluti Christo ipsi servirent: non ad adspectum oculi, quasi hominibus tantum placere cuperent, sed tanquam serui Christi, cetera. Potestne dubium esse, quin DEVS eiusmodi piorum seruorum seruarumque opus, quod in fide & propter DEVM ipsum fit, indeque carum gratumque ei exsistit, singulari benedictione fortunaturus sit? Immo vero Labanus, licet parum religiosus ac fidus erga DEVM, tamen sensit, DEVM benedixisse sibi propter Iacobum, pium generum & operarium, Gen. XXX, 27. 30. Idem & Potiphari vsu venit, qui, cum animaduertisset, Dominum adesse Iosepho, & omnia eius opera fortunare, eum familiæ suæ præfecit: quo facto, benedixit Dominus domui Aegyptii propter Iosephum, & fuit benedictio Domini in omnibus, quæ erant ei, tum in domo, tum in agris c. XXXIX, 2-6.

Patriarchæ familiam suam ad pietatem instituerunt: quod testimonio Gen. XVIII.

§. XII. Quam ob rem persuasum habemus, pios patriarchas non liberos solum suos, verum etiam seruos seruasque, ad veri DEI cultum ac timorem diligenter atque solicite instituisse. Cuius persuasionis nostræ argumentum est, non quidem quod Gen. XIV, 14. isti CCCXVIII. serui, ab Abrahamo contra

tra fœderatos reges educti, vocantur חניכיו *instructi*, seu *initiati eius;* quod Cl. BOHNERVS in Institut. Theol. catech. A. CIↃ IↃCCXXVII. Altdorffii impressis, ad catecheticam eorum institutionem retulit: (quoniam enim de militia illic agitur, & vero חנך, sicut de domo vsurpatum, primum eius vsum, ita de homine, primum eius tentamen denotat; igitur cum IAC. GVSSETIO Comment. L. H. p.268. malumus per *initiatos* illos intelligere tirones, prima hac vice militiæ adhibitos.) sed locus nostra sententia clarissimus Gen. XVIII, 19. vbi DEVS de Abrahamo, *Agnoui eum*, inquit, *propterea, vt præcipiat filiis suis & domui suæ post se, vt obseruent viam Domini, ad faciendum iustitiam & ius.* Et loquuntur id ipsum exempla familiæ Abrahamicæ, in Genesi nobis consignata. Primo enim *Hagara* Aegyptia, quamuis aduersus heram suam contumax aliquamdiu & arrogans fuisset, tamen, cum ab Angelo, hoc est, Filio Dei, in fuga correpta fuisset, eum non solum agnoscit prædicatque pie, *Tu es*, inquiens, *Deus visionis*, cetera, Gen. XVI, 13. sed etiam mandato illius obsequens, ad heram reuersa, se subiicit ei v. 9. Deinde multo illustrius exemplum est *Eliezer*, Abrahami atriensis, vtpote cuius tanta in Deum fuit fides atque religio, vt historiam eius legentibus non possit non ædificationi esse, Gen. XXIV, 12. seqq. Tum vero tota seruorum Abrahami cohors, iubente DEO, cum hero suo sacramentum circumcisionis admisit c. XVII, 17. quod sane vix futurum fuisset, si serui isti adhuc idololatræ, nec ad veri Dei cognitionem ab Abrahamo instructi fuissent. Ac adeo, quod Act. XVI, 14. de *Lydia* dicitur, *baptizata est, & domus ipsius;* & v. 34. de commentariensi Philipporum vrbis, *credidit Deo πανοικί*, seu *cum tota familia;* id Abrahamo aptari suo modo potest: vtpote qui credidit Deo, & circumcisus est, cum tota familia; inque domo sua habuit integram ecclesiam, plane vt Apostolus Rom. XVI, 5. Priscillam Aquilamque salutat, καὶ τὴν κατ' οἶκον αὐτῶν ἐκκλησίαν. Conf. 1 Cor. XVI, 9. & Philem. v. 2.

19 & exemplis probatur.

§. XIII. Considerauimus hucusque patriarcharum famili- Loto & Iacobo fixa alii-

 am

quando, regulariter vero Patriarchis tralatitia fuerunt habitacula, seu tentoria.

am: sequitur nunc, vt *habitacula* illorum pari modo contemplemur. Ista autem vel *tralatitia* fuerunt, vel *fixa:* hæc בתים seu *domus*, strictiore quidem significatu; illa vero אהלים *tentoria*, & quæ pastoritiæ vitæ inprimis adcommodata erant, אהלי מקנה *tentoria pecoris*, seu *pecuaria* 2 Par. XIV, 14. vel per hendiadyn אהל ומקנה *tentoria & pecus* Gen. IV, 19. vel אהל רעי *tentoria pastoritia* Esa. XXXVIII, 12. vel denique משכנות הרעים *tabernacula pastorum* Cant. I, 8. Hebræis adpellata sunt. Quod autem בתים *domus*, & אהלים *tentoria*, strictius accepta, illud domicilia fixa atque stabilia, hoc migratoria, portatilia & tralatitia, denotet, id (vt alia loca mittamus) nobis constare potest ex Ier. XXX, 7. vbi Ionadabus Rechabi filius familiæ suæ præcipit: ובית לא תבנו *Et domum ne ædificate*, כי באהלים תשבו כל ימיכם *sed in tentoriis habitate omnibus diebus vestris.* Quod igitur ad patriarchas attinet, verum est quidem, quod nonsolum *Lotus*, cum a patruo Abrahamo digressus, tentoria variis in locis Cananææ fixisset, tandem, vbi Sodomam vsque progressus esset, Gen. XIII, 12. fixum ibi statuerit domicilium, domumque ad excidium vsque vrbis habuerit stabilem, c. XIX, 2. seqq. sed etiam *Iacobus*, ex Mesopotamia redux, apud Succotham in Peræa *domum ædificauerit sibi*, c. XXXIII, 17. Quemadmodum autem Ven. 10. FRANC. BVDDEVS Hist. Eccl. V. T. part. I. p. 415. seq. recte ostendit, Iacobum domum hanc pro familia sua ædificauisse, reiecto Iudaico commento PSEVDO-IONATHANIS, qui eam in בית מדרשא, seu *academiam*, transformare ausus est: ita credibile tamen est, eandem domum Iacobi rude tantum & extemporale opus fuisse, sine artificio, cultu, splendore, pompa. Aedificata est enim in itinere, cum Iacobus adhuc in via esset, nec dum subsistere illis in locis, sed plus vltra ad patrem Isaacum in australes Palæstinæ partes pergere destinauisset, coll. Gen. XXXI, 18. cum c. XXXV, 27. Vnde interiecto aliquo temporis interuallo, probabiliter cum Iacobus fessum

ex

ex longo itinere pecus temporariis pascuis ibi locorum refecisset, domus illa rursus relicta, iterque Sichemum versus continuatum est. A quo tempore Iacobus denuo, sicuti antehac, sub tentoriis vitam degit, c. XXXIII, 18. Exemplo Abrahami & Isaaci, qui & ipsi tentoriis vsi sunt, eaque, prout commodum esset, & suppeterent pascua, modo *fixerunt*, quod Verbis חנה *metari, castrametari*, & נטה *tendere*, exprimitur, c. XII, 8. c. XXVI, 17. 25. c. XXXIII, 18. 19. c. XXXV, 21. modo *refixerunt*, & refixa aliorsum *mouerunt*, quod Hebræis העתיק *transferre* dicitur c. XII, 8. c. XXVI, 22. sicuti *varias sub tentoriis stationes* denominatiuum designat verbum אהל *tetendit*, vel *tentoria habuit*, Gen. XIII, 12. 18.

Tentoria statui Patriarcharum adcommodatiora, quam fixæ domus.

§. XIV. Et fuerunt vtique patriarcharum statui tentoria, quam fixa domicilia, adcommodatiora. Etenim Abrahamus, Isaacus, Iacobus, licet iteratam promissionem possidendæ olim Cananææ diuinitus accepissent; tamen, quoad ipsi vixerunt, huius promissionis complementum nondum viderunt: vtpote cui Deus certum aliquod tempus in futuris demum ætatibus præfixerat. Igitur per omnem vitam fuerunt גרים ותושבים *peregrini* tantum *& inquilini*, Gen. XXIII, 4. c. XLVII, 9. qui, vt Apostolus ait, *in fide mortui sunt, non accipientes promissiones, sed eminus eas conspicati, & persuasi, ac salutantes, fassique*, ὅτι ξένοι καὶ παρεπίδημοί εἰσιν ἐπὶ τῆς γῆς, *quod peregrini & aduenæ sint super terra*, Hebr. XI, 13. Atqui his, qui peregrini sunt, quique instabiles habent sedes, tentoria potius, quam domus fixæ, conueniunt. Viatores enim in Oriente, tentoria secum ferre solent, Ier. IX, 1. Vnde Apostolus l. c. de Abrahamo, *fide*, inquit, *peregrinatus est in terra promissionis tanquam peregrina*, ἐν σκηναῖς κατοικήσας, *in tentoriis habitans, cum Isaaco & Iacobo, cohæredibus promissionis eiusdem. Exspectabat enim vrbem fundamenta habentem, cuius artifex & ædificator est Deus*, v. 9. 10. Accedit, quod patriarchæ (vt superiore Dissertatione §. XI. demonstrauimus) professione fuerunt homines pecuarii, nomades, *scenitæ*: quibus, quia pascua

cum

cum gregibus suis sequuntur, & de loco ad locum vagantur, tentoria seu *σκηναὶ*, a quibus & *scenitarum* nomen obtinuerunt, commodiora quam domus existunt.

Tentoria sub arboribus fixa, iucunditatis ac vmbræ caussa.

§. XV. Verisimile est autem, patriarchas solitos esse tentoria sua aut *sub arboribus*, aut iuxta illas figere; idque generatim iucunditatis, speciatim vero vmbræ ac refrigerii caussa. Hinc enim Abrahamus, quum, tempore meridiano in ostio tentorii sui sedens, hospites viros tres ad se divertere animaduertisset, occurrens eis, rogauit: *Ne quæso, transeas a seruo tuo: - - lauate pedes vestros, & recumbite* תחת העץ *sub arbore ista*, Gen. XVIII, 1-4. & quum illi precibus eius adnuentes, adcubuissent, legitur Abrahamus *iuxta eos stetisse* prope tentorium SVB ARBORE, ad ministrandum eis v. 8. 9. ac denique *ostium tentorii*, siue ipsius Abrahami, siue Saræ, legitur fuisse *a tergo Domini*, qui conuivæ instar sub arbore discubuerat, v. 10. Et vt eiusdem rei plures possunt esse fines, sic est verisimile, אשל seu *lucum*, quem Abrahamus plantauit, præter vsum sacrum, cui præcipue destinatus erat, etiam ad iucunditatem habitationis simul comparatum fuisse: prius quidem superiore dissertatione a nobis ostensum est §. IX. p. 28. posterius vero colligimus ex analogo exemplo *Sauli* regis, qui, pari probabiliter caussa, *habitauit*, hoc est, sub tentorio degit, תחת האשל ברמה *sub luco in excelso* vrbis Gibeæ, 1 Sam. XXII, 6. sicuti idem *Saulus* alio tempore degit *sub malo punica, quæ fuit apud Migronam*, c. XIV, 2. & *Debora* prophetis contra תחת תמר דבורה *sub palma, a se sic dicta, Deboræ*, Iud. IV, 5.

Mulierum a viris separata domiciliis.

§. XVI. Porro mulieres tentoria & habitacula a viris separata habuerunt; more, quem Oriens non solum priscis sæculis vna cum Græcia tenuit, sed etiam hodienum magna ex parte seruat. Quod priusquam ex patriarchali historia edisseramus, iuuabit, vel vnicum illum, quanquam ipsis pueris notissimum locum ex præfatione CORNELII NEPOTIS adferre: *Quem Romanorum*, inquit, *pudet, vxorem ducere in conuiuium? aut*

aut cuius mater familias non primum locum tenet ædium , atque in celebritate versatur? Quod multo fit aliter in Græcia. Nam neque in conuiuium adhibetur, nisi propinquorum: (quomodo & filiæ Iobi in conuiuio fratrum vna adcubuerunt, Iob. I, 4.) *neque sedet, nisi in interiore parte ædium, quæ gynæconitis adpellatur, quo nemo accedit, nisi propinquâ cognatione coniunctus.* Videlicet Oriens est, & fuit, multo religiosior cautiorque in admittenda familiariore hominum diuersi sexus conuersatione, quam Occidens. Hinc Noomis, in patriam ex Moabitide reversura, ambabus nuribus suis, *euntes*, inquit, *reuertimini, quæque in domum*, non patris, (quem tamen si non vtraque, Rutha saltem superstitem tum habuit, coll. Ruth. II, 11.) sed *matris suæ*, c. I, 8. Indidemque sponsa Salomonea mystica sponso, *abducam te*, pariter inquit, *in domum matris meæ, & in conclave genitricis meæ*, Cant. III, 4. & c. VIII, 2. quod certe, si typus & littera spectetur, ex hoc separatæ mulierum habitationis ritu in Oriente illustrandum non minus est, quam illud Ps. CXXVIII, 3. *Vxor tua futura est instar vitis*, בירכתי ביתך, hoc est, (vt Nepotiana phrasi vtamur,) *in interiore parte ædium, quæ gynæconitis adpellatur.* Hæc vbi præfati sumus, nostri memores instituti ad patriarchalem reuertimur œconomiam, &, quod de separatis virorum mulierumque habitationibus diximus, firmaturi, prouocamus tum ad Gen. XXIV, 28. vbi Rebecca, quum audisset, Abrahami seruum hunc esse, qui se monili & armillis aureis donauisset, *currens indicauit domui*, non patris, sed *matris suæ*; & v. 67. vbi Isaacus sponsam Rebeccam introduxit *in tentorium Saræ matris suæ*; tum ad c. XXX, 16. vbi Lea, Iacobo vesperi ex agro venienti obuiam procedens, *ad me*, inquit, *venies.* Ad quem locum R. SAL. BEN MELECH in *Michlal Iophi* recte notat: *id est, in tentorium meum venies; quoniam singulis separata fuere tentoria; sicuti scriptum est Gen.* XXXI, 33. *Et ingressus est Laban in tentorium Iacobi, & in tentorium Leæ, & in tentorium duarum ancillarum, -- cumque exisset e tentorio Leæ, ingressus est in tentorium Rachelæ.*

§. XVII.

A tentoriis, quæ hominum vſibus inſeruiere, diuerſa fuerunt Succoth, ſeu frondea tuguria pro pecore.

§. XVII. Ceterum a *tentoriis*, quæ Hebræis אהלים vel משכנות adpellantur, quæque hactenus a nobis deſcripta ſunt, probe diſtinguenda ſunt סכות *tabernacula* ſeu *tugûria*, quæ Iacobus, ex Meſopotamia in Cananæam reuertens, vltra Iordanem, prope locum *Succoth*, ab his ipſis tabernaculis dictum, pro pecore ſuo feciſſe legitur Gen. XXXIII, 17. *Iacobus mouit verſus Sùccoth, & ædificauit ſibi domum: pecori vero ſuo fecit* SVCCOTH, ſeu *tentoria, vnde & nomen vocauit* SVCCOTH. Illa enim pro *hominibus*; hæc vero, vt locus modo allegatus habebat, pro *pecore* fuerunt: illa item, cortinis ſeu *aulæis* tenſa, hæc vero, ſpecialiore ſignificatu accepta, *ramis*, *frondibus foliisque* arborum tecta fuerunt, qualia in feſtis diebus τῆς σκηνοπηγίας ab Iſraelitis poſtea fieri ſunt ſolita, Leu. XXIII, 34. 40. 42. & Neh. VIII, 15. Igitur tabernacula illa frondea Iacobo fuerunt loco ſtabulorum, ad cogendum pecus, vt in opacarum frondium ramorumque vmbra commode requieſceret, meridiano inprimis tempore, cuius æſtus gregibus in Oriente noxius valde ac permoleſtus eſt. Vid. quæ ſuperiore *Diſſert.* §. XVI. p. 35. ſq. de meridiano pecoris recubitu iam diximus. Et quemadmodum hæc ipſa *tuguria* Hebræis dicta ſunt סכות, quaſi *tegûria, tegumenta, vmbracula*, a סכך *texit, obûmbrauit*; ita dubium nobis non eſt, quin indidem Græcis adpellati ſint σηκοὶ, hoc eſt, vti SVIDAS vocem interpretatur, αἱ τῶν βοσκημάτων ἐπαύλεις, *gregum ſtabûla*, ſeu *manſiones* & *caulæ:* vt quum apud HOMERVM Odyſſ. 9. v. 219. legitur:

— — — στεῖνοντο δὲ σηκοὶ
ἀρνῶν, ἠδ' ἐρίφων.

Plenæ autem erant caulæ agnis & hædis. Quæ etymologia eſt facilis & inadfectata; ſicuti græculam contra redolet vanitatem illa, quam SVIDAS adfert, vocis originatio, quaſi σηκοὶ dicti ſint παρὰ τὸ σώζειν, *quod ſeruent* pecudes, vel παρὰ τὸ ἐκεῖσι στήκειν, *quod illic ſtent.* Adeo vt vel hinc adpareat, non Græcam linguam Hebrææ, ſed Hebræam Græcæ origines dediſſe; ſecus ac nuper perſuadere nobis *Helmſtadienſis* voluit *Philologus.*

§. XVIII.

§. XVIII. Ab *habitaculis* patriarcharum conuertimur nunc ad illorum *victum*, contemplaturi, quis fuerit eorum tum *cibus* tum *potus*. Et ad cibos quidem pertinent herbæ ac olera, arborumque fructus; item cicera, maximeque panis; porro, carnes animantium, ac denique lac & butyrum. De *herbis, oleribus, frûmento, ciceribus, arborumque frûctibus*, in cibum homini iam *ante lapſum* in paradiſo deſtinatis, diuinam legimus conſtitutionem Gen. I, 29. *Ecce, dedi vobis omnem herbam habentem ſemen, quæ in ſûperficie totius terræ eſt; & omnem arborem, in qûa eſt fructus arboris, habentem ſemen: vobis erit*, tum hæc tum illa, *in eſcam*. Et de arborum fructibus c. II, 16. *De omni arbore horti* (excepta tantum illa, quæ a cognitione boni & mali nomen habuit) *comedendo comedes*. De *pane* vero, hoc eſt, piſtorio opere ex frumentis parato, dubitari poteſt, locumne iam in paradiſo habuerit; quoniam non conſtat nobis, num protoplaſti tamdiu in ſtatu concreatæ a Deo integritatis, ac adeo in paradiſo, perſeuerauerint, vt frumentum metere, meſſumque molere, ac piſtorio opere parare potuerint. Loquitur tamen Deus de illo, tanquam de re iam exſiſtente & hoc nomine ſuo nota, ad Adamum e paradiſo mox expellendum, Gen. III, 19. *In ſûdore vûltus tui comedes* PANEM: niſi forte *panis* heic (vti alias ſæpe fit) pro *cibo* quolibet, per ſynecdochen, veniat. Quodſi vel maxime panem ex farina piſtum primi mortales nondum habuerunt, tamen fieri potuit, vt vel virides comederint frumenti ſpicas, manibus vulſas frictasque; (quod a diſcipulis Chriſti, in ſabbato δευτεροπρώτῳ per ſegetes tranſeuntibus, factum legimus Matth. XII, 1.) vel igne toſtas manducauerint. Certe IO. CLERICVS Comment. ad Leu. II, 14. vbi populus Iſraeliticus iubetur donarium primitiarum offerre אביב קלוי באש גרש כרמל *ſpicam toſtam igne, contuſamqûe ariſtam viridem*, hæc adnotat: *Videtur*, inquit, *hæc eſſe imago antiqûiſſimi cibi, cum homines panem nondum pinſerent; ariſtas, nimirum, virentes contûſas comedebant, deinde easdem torrere didicerunt. Atque*

In patriarcharum victu, ac cibis præſertim, fuerunt herbæ, olera, arborumque fructus, & panis.

 hinc

hinc etiam polentam & pultem faciebant, ante inuentum panis vsum. Eadem autem terræ genimina, quæ ante, etiam post lapsum hominibus in vsum cibi indulta a Deo sunt; hoc solo discrimine, quod ante lapsum vescerentur herbis fructibusque paradisi, post lapsum vero agrestibus terræ nouercalis & iniquæ, ac pane cum sudore vultus parato: Gen. III, 18. 19. *Comedes herbam agri; in sudore vultus tui comedes panem.* Ad quem locum recte A. RIVETVS Exercit. 38. *Non hoc,* inquit, *voluit Deus,* (quasi Adamus deinceps vilibus agrorum herbis cum belluis victurus esset) *qui & antea in prima constitutione rerum omnium, ante peccati statum Gen. I, 10. ita distinxit herbas, quæ in cibum hominum cedere debebant, ab aliis, quæ ceteris animantibus concessæ erant: sed id tantum prædixit, herbas illas sementantes semen, vt frumentum, triticum, secale, varia leguminum & olerum genera, quibus etiam nunc vtimur, non sponte aut facile prouentura, vt antea, sed post labores maximos, satis parce colligenda; quasi diceret: Comedes herbam tantis laboribus satam & altam; cum ego antea sine sudore, spinis & tribulis, eam tibi velut præparatam & sponte crescentem tibi dedissem.* Et tamen, quæ mirifica est Dei erga homines misericordia & benignitas, non obstante illa maledictione diuina, quam terræ attraxit protoplastorum peccatum Gen. III, 17. 18. post lapsum quoque largitur *panem pinguem, regalesque delicias,* quibus Aseritidem inprimis abundaturam Iacobus ominatus est c. XLIX, 20. Et quanquam diluuii interuentus visus fuerat spem omnem prouentuum terræ mortalibus erepturus esse, tamen & post illud Deus clementissimo decreto, *adhuc,* inquit, *omnibus diebus terræ sementis & messis - - non cessabunt* c. IX, 22. Vnde Isaacus Iacobo, Esaui personam gerenti, bene precaturus, *det tibi,* inquit, *Deus frumentum & mustum,* c. XXVII, 28. & de eodem, Esauo loquens, v. 37. ait: *Frumento & musto suffulsi eum.* Inprimis legimus, *lentes* Esauo pro cupediis fuisse, ita vt pro consequendis illis, quanquam leuissimo animo, fratri ius primogenituræ vendere non dubitauerit c. XXV, 29. seqq.

Legi-

Legimus item, in deliciis fuisse *subcinericias placentas, e simi-lagine* factas: vtpote quas Abrahamus maximae dignationis conuiuis, vna cum butyro & lacte, carnibusque vituli delicati & praestantis, adposuit c. XVIII, 6. 7. 8. De illis adi, si lubet, SAM. BOCHARTVM in Hieroz. P. I. col. 326. seqq. aut Notas in *Bibl. Halens.* Hos. VII, 8. Denique quod ad arborarios fructus, Patriarcharum vsibus, praeter alia illorum genera, inseruierunt *resina, mel, styrax, stacte, pistacia & amygdala,* vti ex Iacobi historia constat Gen. XLIII, 11.

§. XIX. De *carnibus* ambigi forte queat, vtrum iam ante diluuium, an post illud demum ad esum hominibus concessae fuerint. Qui posterius adserunt, primo sententiam suam fundant in loco Gen. I, 29. vbi, quum Deus hominibus *omnem herbam sementantem, omnemque arborem, in qua sit fructus,* in cibum designat, contra de animalium carnibus altum est silentium. Vnde IO. CLERICVS Comm. ad l. c. notat: *Heic herbae & fructus alimentum hominis memorantur, omissa brutorum carne; vnde viri eruditi* κρεωφαγίαν *initio vsitatam non fuisse colligunt. Sane carnis crudae voratio ferarum cum sit, eius coctio videtur hominum rudiorum ingenium superasse; & cum fructus a natura ipsa cocti ad manum essent, sine vllo paratu, credibilius est, eos solos a primis parentibus adpetitos fuisse. Hinc & apud Graecos aurei saeculi epulae fructus dicebantur.* PYTHAGORAS *apud* OVIDIVM *Metam. Lib. XV.*

An carnium esus iam ante diluuium hominibus concessus fuerit? Negatiua sententia expenditur, & adfirmatiua contra adstruitur.

At vetus illa aetas, cui fecimus aurea nomen,
FOETIBVS *arboreis, & quas humus educat* HERBIS,
Fortunata fuit, nec polluit ora CRVORE.

Fundantur & eo, quod Gen. IX, 3. Deus Noacho & familiae eius post diluuium dicit: *Omne mouens se, quod est viuum, vobis erit in escam: sicut herbam viridem dedi vobis omne.* Vnde H. GROTIVS, quem hac in re sequitur IO. CLERICVS, colligit, ante diluuium ius quidem fuisse homini in animantia, vt, scilicet, lacte, lana, & mortuorum suo fato exuuiis, vtque viuentium labore, quo suus minueretur, ad ferenda aut trahenda

onera vteretur; at non, vt ea in cibum verteret: frustra alioquin hic Noacho permitti, quod dudum licitum fuisset; cum præsertim Moses antea satis indicarit c. I, 29. herbas & fructus antediluuianis hominibus in victum datos. Quanquam vero inficiandum nobis non sit, rem ita implicitam & in ancipiti positam esse, vt, vtra sententiarum eligenda sit, difficulter admodum determinari queat, saltem cum plena certitudine & apodixi; tamen adlatæ rationes ita sunt comparatæ, vt patiantur exceptionem: & e diuerso contraria sententia argumentis non spernendis adstruitur. Nam primo, licet DEVS Gen. I, 29. pro cibis homini concessis solas herbas & fructus, omissa brutorum carne, memoret; tamen vnius positio non est alterius exclusio. Vnde contra H. GROTIVM, qui verbis mox insequentibus v. 30. *Omni vero bestiæ, & omni volucri cæli, & omni mouenti se super terram, in quocunque est anima viua,* dedi *omnem herbam viridem in escam*, crediderat, brutis solas herbas concedi, non fructus arborum; CLERICVS ipse recte obseruat, istiusmodi omissiones non esse nimium vrgendas; indeque ex verbis illis vix putat colligi posse, quasi bruta arborum fructibus, quibus aues aliaque animantia vesci solent, aut carniuoræ bestiæ animalium esu initio abstinuerint. Deinde si carnium esus homini a DEO non est concessus verbis v. 29. (quod tamen *Sam. Bochart.* Hieroz. P. I. lib. I. p. 11. asserit, contendens, illud, *Vobis id erit in cibum* v. 29. non solum ad plantas referri, sed etiam ad animalia, de quibus præcedenti versu actum fuerat.) concessus est tamen, quanquam implicite & generalius, verbis superioribus v. 28. *Dominamini piscibus maris, & volucribus cæli, & omni bestiæ, quæ mouet se super terram.* Quod vero obiicitur, coctionem carnis ad esum, videri hominum rudiorum ingenium superauisse; id tanti non esse videtur, vt, quod vult CLERICVS, nobis persuadeat. Legimus enim, homines iam ante diluuium coluisse artes, v. g. musicam, ac metallicam inprimis, Gen. IV, 21. 22. Atqui metalla inuenire, fodere, perficere, fabricare, cetera, quam ardua res est, &

quan-

quanti ingenii! Ea igitur si primorum hominum ingenium non superauit, forte, quod nutu & prouidentia DEI singulari adiuti sunt; de carnis ad esum paratu, quæ simplicior & facilioris indaginis res est, id multo minus dici potest: quamuis ceteroqui lubentes largiamur, cum temporis progressu artes quoque magis ac magis excultas esse. Nec fortius stringit argumentum ex fabulis Græcorum de aurei sæculi epulis desumtum. Quamuis enim fabularum integumentis aliquando sint antiquissimæ historiæ inuolutæ; tamen fabulæ sæpe sunt fabulæ, id est, inanissima nugacium hominum commenta, quibus vix tuto creditur. Sed quid de palmario illo dicemus loco, Gen. IX, 3. *Omne mouens se, quod est viuum, vobis in escam erit; sicut herbam viridem dedi vobis omne?* Nihil enim pro neganda ante diluuium κρεωφαγίᾳ clarius videtur dici potuisse. At vero, si loci illius contextum penitius consideraueris; verisimile euadet, verbis modo adlatis non nouum hominibus a Deo conferri beneficium, sed vetus illud, quo iam pridem vsi erant, vti saltem potuerant, post diluuium confirmari. Etenim, cum inducto terris propter hominum malitiam diluuio, natura rerum turbata esset, igitur, finito illo, Deus, vt hominum genus ab eiusdem diluuii metu in posterum liberaret, *dixit ad cor suum* c. VIII, 21. 22. *Non pergam amplius percutere omne viuum, quemadmodum feci.* ADHVC (vti iam ante diluuium, ita nunc post illud porro) *omnibus diebus terræ, sementis & messis, frigus & æstus, æstas & hiems, dies & nox non cessabunt.* Cum hoc igitur clementissimo Dei decreto statim coniungitur benedictio illa, qua Deus Noachum filiosque eius impertiit, c. IX, 1. 2. *Benedixit Deus Noacho & filiis eius, dicens eis: Fructuosi este, & augescite, ac replete terram: & timor vestri, terrorque, sit super omnem bestiam terræ, & super omnem volucrem cæli; cum omni, quod mouet se in terra, & cum omnibus piscibus maris, in manum vestram data sunt.* Hæc omnia quemadmodum non noua, sed vetera sunt beneficia, quæ Deus hominum generi post diluuium instaurat atque confirmat, coll. Gen. I, 28. sic & hoc, quod sequi-

ſequitur ibidem v. 3. *Omne mouens ſe, quod eſt viuum, vobis* (vt antehac, ita porro) *erit in cibum.* Nam *vti herbam viridem, dedi* (iam olim, & nunc vobis *do*, reddo, reſtituo) *vobis omne*; ita ſcilicet, vt licitiſſime animalium carne veſci poſſitis, haud aliter quam herbis. Quod vero Deus carnis eſum nominatim confirmat, id nobis fieri videtur cum reſpectu ad ſubiunctam prohibitionem homicidii v. 5. 6. 7. q. d. Iugulauerunt homines ante diluuium pecora, idque ad eſum; iugularunt vero & homines, per vim & truculentiam; vtpote qua terra ab ipſis repleta fuerat c. VI, 13. illud vobis poſthac quoque conceſſum, hoc vero ſub ſeueriſſimi ſupplicii comminatione abhinc interdictum eſto. Sed plura non addimus, cum videamus, argumentum hoc, de licito & vſitato carnium eſu ante diluuium, ſufficienter a Venerandis Viris, IO. FRANC. BVDDEO, in Hiſt. Eccl. V. T. Part. I. p. 185. ſeqq. & IOACH. LANGIO, in Hiſt. Eccl. V. T. p. 20. 21. pertractatum eſſe: quo lectores noſtros, ſi volupe eis ſit, amandamus.

Poſt diluuium animalia quidem quælibet ad eſum licita, ſed non omnia vſitata, nec niſi ſanguine ſeparato.

§. XX. Quidquid autem horum ſit tandem, ſiue comederint primi homines carnem, ſiue non comederint; poſt cataclyſmum certe licita fuerunt ad eſum animalia quælibet, niſi natura hominum ipſa ab illis comedendis refugeret Vt enim herbæ & olera, ſic animalia Noacho & filiis conceſſa ſunt Gen. IX, 3. OMNE *mouens ſe, quod eſt viuum, vobis erit in cibum: ſicut herbam viridem dedi vobis* OMNE. Nullum igitur heic diſcrimen ciborum mundorum immundorumque, ſaltem ex lege. Nam etſi c. VII, 2. Noachus de *pecoribus mundis* ſeptena, de *immundis* vero bina tantum in arcam admittere iuſſus ſit; recte tamen interpretes monent, *munda* dici quæ vel in ſacrificiis eo tempore probauerit Deus, vel humano vſui conuenientiora & conſuetiora fuerint. Ac adeo libertas hæc circa carnium quarumlibet eſum, qua Patriarchæ vſi ſunt, prius reſtricta non fuit, quam donec interueniſſet lex Leuitica: quæ tamen & ipſa non æternum valere, ſed tantum μέχρι καιρȣ̃ διορθώσεως populo Iudaico incumbere debuit Hebr. IX, 10.

Id

Id enim est, quod tanquam veteris, eiusque sincerioris Theologiæ Iudaicæ venerandum monumentum, in ipso reperitur Iudæorum MEDRASCH THILLIM f. 68. d. Vbi, *quid est illud* inquiunt, SOLVIT VINCTOS, siue (vt magistri illi Hebræi capiunt) VINCTA? Ps. CXLVI, 7. *Sunt qui id ita explicant: Omne pecus, quod pro impuro habetur in sæculo præsenti, Deus posthac pro puro declaraturus est. Sic enim dicitur* Coh. I, 9. QVOD FVIT, IDEM EST QVOD ERIT, *cetera. Ecquid igitur illud est quod fuit? Munda fuerunt antehac* (animantia quælibet) *Noachidis. Nam sic habetur* Gen. IX, 3. *Velut herbam viridem dedi vobis omne. Quemadmodum igitur herba viridis vniuersa, sic & vniuersa animantia hominibus initio concessa fuerant. Quare vero postmodum aliqua illorum prohibuit? Vt videret, quis verbis eius obsequuturus, quis ue refragaturus esset. Sed futuro tempore* (quod alias nomine *dierum Messiæ* Iudæis venire solet) *Deus soluturus est vincta*, id est, licita faciet quæ illicita fuerant. Diximus, licita fuisse Noachidis vniuersa animantia; sed inde tamen non sequitur, singula singulis & vsitata fuisse. Nam v. g. suillam carnem in Patriarcharum cibis vix habuisse locum, id ipsi superiore Dissertat. §. XXV. p. 51. præter alia ex alto illo in Genesi de suibus silentio, collegimus. Licita item fuerunt, sed non sine necessaria conditione, quam Deus Gen. IX, 4. his verbis expressit: *Attamen carnem in anima sua*, seu *sanguine suo, ne comedatis.* Vbi notanda differentia legis patriarchalis a lege Leuitica. Hæc enim prohibet esum sanguinis simpliciter, etiam effusi, & ab animali corpore separati, Leu. XVII, 14. illa vero non nisi carni adhuc inhærentis, nec dum effusi ac seorsim positi: vtpote quæ vis est phraseos, *carnem in sanguine suo*; prout pluribus demonstrauit IAC. GVSSETIVS Comm. L. H. p. 525 De caussis vero interdicti esus sanguinis vide, si placet, SAM. BOCHARTVM Hieroz. Part. I. lib. I. c 2. Sic Abrahamus conuiuis suis parauit vitulum tenerum atque præstantem, ex tempore mactatum c. XVIII, 7. 8. Isaacus vero ferina inprimis delectatus est, ita vt libenter ea vesceretur,

c. XXV, 28. Vnde Esauus, venationum studiosus, cupedias, prout amaret pater, facere iussus c. XXVII, 4. 31. Rebecca matre similes contra parante ex duobus hædis v. 9. 14. quod ne mirum videatur, obseruandum est, quod BOCHARTVS l. c. pag. 633. ex auctoribus tam sacris quam profanis demonstrauit, *Hædos* apud veteres, maximeque Hebræos, in deliciis fuisse.

Panis & aqua pro cibo & potu quolibet. Aqua potus ordinarius, vinum lautior.

§. XXI. Quemadmodum in ciborum genere *panis* principem tenuit locum, adeo vt synecdochice aliquando pro cibo quolibet veniat, v. g. Gen. III, 19. *In sudore vultus tui comedes panem*; sic *aqua* in Palæstina, maximeque patriarchali æuo, vsitatissime pro potu deseruiit. Hoc enim inde colligimus, quod *panis & aqua* hic illic omne tum ciborum tum potuum genus comprehendit, vt Exod. XXIII, 25. *Benedicet Dominus pani tuo, & aquæ tuæ*; c. XXXIV, 28. *Panem non comedit* Moses, *& aquam non bibit.* Esa. XXXIII, 16. *Panis ipsius dabitur* ei, *aqua ipsius perennis* erit. Quod ideo obseruamus, ne forte, quum Gen. XXI, 14. de Abrahamo relatum legimus, eum Hagaram, vna cum Ismaele filio dimissam, nonnisi *pane & vtre aquæ* loco viatici instruxisse, duritiei nomine patriarcham indulgentissimum cum aliquibus postulemus; quasi qui pellicem, filiumque ex ea susceptum, haud meliore habuerit loco, quam maleficos homines, qui, si quid commiserint criminis, in carcerem dati, pane & aqua victitant, werden mit Wasser und Brodt gespeiset. Sed, nimirum, euanescit hæc species duritiei & tenacitatis, si quidem reputemus, *panem* non excludere *opsonia, aquam* vero tunc temporis, & ibi locorum, potum fuisse ordinarium. Adde, quod probabile sit, Abrahamum pellici filioque, tunc in Pharanica deserta tendentibus v. 21. nisi se sustentare ipsi possent, de victu prospexisse: sicut c. XXV, 6. diserte *pellicum filiis dona dedisse* legitur. Sic, vt duritiei speciem porro ab Abrahamo depellamus, Isaacus atque Rebecca Iacobum filium, tenerrime dilectum, cum iter Carrense ingressurus esset, non vacuum quidem prorsus, (nam v. g. oleo instructus erat, quo erectam a se statuam perfudit c. XXVIII, 18.)

attamen satis parce & (vt nostro quidem sæculo luxurianti ac delicatulo videri queat) miserabiliter instructum, dimiserunt: adeo, vt redux tandem e Mesopotamia, dicere posset: *Baculo meo* solo instructus *transii* olim *Iordanem hunc, nunc vero in duo euasi agmina*, Gen. XXXII, 11. Cæterum captiuorum cibus in sacris litteris non *panis & aqua* simpliciter, sed cum epitheto demum לחם לחץ ומים לחץ, *panis adflictionis, & aqua adflictionis*, vocitatur, vt 1 Reg. XXII, 27. vel לחם צר ומים לחץ *panis angustiæ, & aqua adflictionis*, vt Esa. XXX, 20. Interim existimandum non est, Patriarchas abstemios fuisse fortioris potus, ac meros ὑδροπότας, seu *aquæ potatores*. Nam *vinum* Noachus post diluuium bibit, primus eius (vt verisimile est) inuentor, Gen. IX, 20. 21. Melchisedecus item Abrahamo, a strage fœderatorum regum reuerso, panem obtulit & *vinum*, vt fessum ex itinere, cum agmine ipsius, reficeret, c. XIV, 18. *Lotus* quoque, ex Sodomorum incendio in speluncam se cum filiabus recipiens, *vinum*, quanquam (vt mox dicemus) immoderatius hausit, c. XIX, 32. seqq. Sed & Iacobus, quum solemni conuiuio animum patris recreaturus, paternamque benedictionem in se deriuaturus esset, Isaaco præter cupedias *vinum* quoque proposuit c. XXVII, 25. indeque vicissim abundantiam *musti*, seu *vini*, ex paternis votis meruit v. 28. & Iudæ, filio suo, ominatus est, fore, vt *adliget asinum suum viti, & generoso palmiti pullum asinæ suæ, loturus vino vestimentum suum, & sanguine vuarum tegumentum suum*, c. XLIX, 11. *Vinum* nempe ex præstantissimis Dei donis est, quod (vt ex Iothami apologo loquamur) *lætificat Deum & homines*, Iud. IX, 13. Vnde Dauid argumentum laudandi Creatoris sumit Ps. CIV, 15. *Et vinum*, inquiens, crescere facit Deus, *quod exhilarat cor hominis*. Et Salomo moderatum ordinatumque eius vsum celebraturus, ait Prou. XXXI, 6. *Date Siceram pereunti, & vinum mœstis animæ: vt bibens obliuiscatur paupertatis suæ, & ærumnæ suæ ne meminerit amplius.* Quo magis mirum est, eo processisse Muhammedem, vt in *Coran.* Sur. V.

v. 92. pronunciauerit, *vinum esse abominandam rem operis Satanæ.* An Patriarcharum tempore, præter aquam vinumque, etiam שכר *Sicera* in vſu iam fuerit, haud quidem certo definiuerimus; quia nulla eius in Geneſi mentio occurrit: fuit tamen Moſaico æuo nota, coll. Leu. X, 9. Num. VI, 3. Deut. XXIX, 5. Eſt autem *Sicera,* (vt HIERONYMVS ad Eſa. XXVIII, 7. recte monet) *omnis potio, quæ inebriare poteſt, & ſtatum mentis euertere, - - ſiue illa frumento, ſiue milio, pomorumque ſucco, & palmarum fructu, aut alio quolibet genere conficiatur.*

Patriarchæ comederunt biberuntque in timore Dei, & cum gratiarum actione conuiuia egerunt, ſed ſine intemperantia & luxu. Noachi & Loti ebritas ad commonefactionem noſtram ſcripta.

§. XX. Quod igitur ad victum, de quo hactenus diximus; comederunt ſane biberuntque patriarchæ, non aliter ac ceteri homines ſui æui: hac tamen differentia, vt hi quidem genio ſuo indulgentes, ſumma ſecuritate, carnem cutemque paſcerent; nec Deo, ſed ventri ſuo ſeruirent Rom. XVI, 18. indeque finem haberent τὴν ἀπώλειαν, Phil. III, 18. illi vero cibum potumque caperent, tanquam donum Dei, *cum gratiarum actione,* 1 Tim. IV, 3. 4. 5. & carnis curam non facerent ad concupiſcentias Rom. XIII, 14. De antediluuianis, Noacho coæuis, Chriſtus Luc. XVII, 27. ait: *Comederunt, biberunt, - - vsque quo die ingreſſus eſt Noachus in arcam, & ſuperueniens diluuium perdidit omnes:* pariterque de Sodomitis tempore Loti, v. 28. 29. *Comederunt, biberunt,* cetera; plane, vt Ezech. XVI, 49. *Ecce!* inquit Deus, *hæc fuit culpa Sodomæ ſororis tuæ: faſtus, ſaturitas panis, & tranquilla ſecuritas fuit ei, ac filiabus ipſius,* cetera. Porro patriarchæ in peregrinis quidem humaniter lauteque excipiendis, præbendisque conuiuiis (vbi id amicitiæ ac decori leges expoſcerent) liberales ſeſe geſſerunt, ſed ſine luxu & vanitate. Vt Abrahamus, Gen. XVIII, 2. ſeqq. Lotusque c. XIX, 1. ſeqq. ad quorum exempla reſpiciens Apoſtolus Hebr. XIII, 2. *Hoſpitalitatis,* inquit, *obliuiſci nolite: per hanc enim aliqui vel ignari angelos excepere.* Iſaacus item, qui venientibus ad ſe Abimelecho, eiusque miniſtris, conuiuium parauit, Gen. XXVI, 30. pariterque Iacobus, qui Labano ſocero cæterisque cognatis idem humanitatis officium præ-

præſtitit c. XXXI, 54. Sed & die, quo Iſaacus a lacte depulſus eſt, fecit Abrahamus *conuiuium ingens* c. XXI, 8. & nuptiale Iacobi conuiuium (quanquam hoc forte ex inſtituto ſoceri, & more Charanenſium potius, quam ex propria voluntate, cum de Iſaaci atque Rebeccæ nuptiis nihil iſtiusmodi legatur c. XXIV, 67.) ſeptiduanum fuit, c. XXIX, 27. Cætera vero fuerunt moderati, paucis contenti, frugales, ſobrii, & ab intemperantia ſiue in cibo ſiue in potu alieniſſimi, v. g. Iacobus, qui in Meſopotamiam proficiſcens a Deo nihil vltra vouit ſibi, quam *panem ad comedendum* c. XXVIII, 20. Excipiendi hic vero ſunt ſpeciales caſus, Noachi & Loti: quorum ille, cum primus mortalium plantauiſſet vineam, bibit de vino, *& inebriatus eſt*, c. IX, 21. hic vero vino, quod filiæ præbuerunt, immoderatius hauſto, ad inceſtum cum filiabus concubitum inductus eſt, c. XIX, 32. ſeqq. triſti quidem exemplo, quod vero ſcriptum eſt πρὸς νουθεσίαν ἡμῶν 1 Cor. X, 11. auremque vellit nobis, & admonet, vt meminerimus illius dicti Apoſtolici c. VII, 31. *Qui vtuntur mundo hoc*, (ac adeo & cibo, potuque fortiore) *tanquam non abutentes*; item Salomonei illius Prou. XXIII, 31. *Ne adſpicias vinum, cum rutilauerit, cum dederit in calice colorem ſuum, blandeque ingreſſum fuerit*, cetera. Quanquam vero iſti Patriarchæ non penitus hac in re excuſandi ſint, ac minime quidem Lotus; tamen miſericordia digni ſunt: Noachus, quod tanquam primus vini cultor vim generoſi huius potus ignorauerit; Lotus vero, quod a filiabus, perperam totum hominum genus exſtinctum ſupponentibus, ac adeo, quaſi neceſſitatis caſus eſſet, prolem ex patre ſuo ſuſcipere geſtientibus, veluti eum a mœrore refecturæ eſſent, doloſe circumuentus fuerit.

Veſtes triſte lapſus noſtri monumentum.

§. XXIII. Venimus nunc ad vltimum tractationis noſtræ momentum, videlicet *amictum* patriarchalem. De quo quum agere inſtituimus, atque in veſtium ſimul origines animum conuertimus, ſentimus nos in triſtem noſtri primorumque parentum lapſus recordationem deduci; idemque nobis acci-

cidere, quod pincernæ regis Aegypti, qui, notitiam Iosephi in carcere a se comparatam Pharaoni memoraturus, *Peccata mea*, inquit, *commemoranda mihi sunt hodie*, Gen. XLI, 9. Nam initio creationis, & quamdiu Adamus ac Eua in statu imaginis diuinæ perstiterunt, *ambo fuerunt nudi, homo & vxor eius, nec ipsos puduit*, Gen. II, 25. Quo loco *nuditas* non priuationis aut turpitudinis vocabulum, sed perfectionis atque honoris est, naturalem significans pulchritudinem, eamque ita consummatam, vt nihil plane deformitatis vitiique, quod pudoris esse posset, haberet, nec adscititio vllo indigeret cultu, contenta proprio: sicut & illud, *nec ipsos puduit*, non impudentiam notat, quæ ad omnem turpitudinem dux est, sed negationem rei turpis, quæ pudorem excitare queat. Vnde B. SEB. SCHMIDIVS vertit: *neque enim pudoris caussam habebant*. Et Paraphrastes Chald. *Hierosolymitanus: Et ignorarunt, quid esset erubescentia*. Erant quippe sicut infantes, ἄκακοι, & sine peccati fomite, praua concupiscentia; ac *e contrario induti, loco indumenti, gloria Dei, & pietate*. Quod quale fuerit, pulcherrime explicat S. MACARIVS Hom. XII. §. 7. 8. & quod de Pseudopropheta, alias parum casto, mirum est, ipse MVHAMMEDES Coran. Sur. VII, v. 25. 26. vbi, *Vestis pietatis*, inquit, *hæc est optima; hæc est de miraculis Dei. -- O filii Adami, ne decipiat vos Satanas, quemadmodum eiecit ambos parentes vestros e paradiso, auferens illis vestem suam, vt monstraret eis pudenda ipsorum*.

Post lapsum demum turpis subsequuta nuditas: quam ficulneis subligaculis, sed parum apte, primi homines tentarunt tegere.

§. XXIV. Post lapsum vero primorum parentum, *aperti sunt oculi illorum amborum, & cognouerunt, quod nudi essent*, Gen. III, 7. Vbi *oculorum* quidem *apertio*, quam memorat Moses, per antanaclasin sic dicitur ad magnifica illa seductoris serpentis promissa v. 5. *Nouit Deus, fore, vt, quo die comederitis de ea*, (arbore, quæ est in medio horti,) *aperiantur oculi vestri*. Concedit igitur Moses, factum id, quod serpens promiserat, luminaque aperta esse, verum non eo sensu, vt *essent* Protoplasti *sicuti Deus, scientes bonum & malum*, id est, perfectam habentes rerum omnium cognitionem; sed contrario significatu,

catu, vt magno suo pudore, & animi confusione, sentirent, se nudos vacuosque esse factos ab illa gloria & perfectione, in qua primitus a Deo creati fuissent; ac adeo veste imaginis diuinæ eum in modum spoliatos, vt, vbi turpitudinem suam occultarent, nullibi reperirent. Cum ergo fœdam hanc suam sensissent nuditatem, indeque pudor eos & ignominia occupauisset, *consuerunt folia ficus, feceruntque sibi* (vt l.c. additur) חגורות, hoc est, vt veteres interpretes reddiderunt, *perizomata*, seu *subligacula*, quibus inferiores tantum ac pudendas corporis partes tegerent, videlicet ab ea corporis parte, qua cingimur, atque deorsum. Quod autem MATTH. HILLERVS in Hierophyt. P. I. p. 155. ex FAGIO ad l.c. obseruat, *Folia ficus commoda ipsis visa, quibus tegerent pudenda sua: (Est enim fico folium maximum vmbrosissimumque:) cum tamen ad rem plane fuerit ineptam. Nec enim a corpore frigus arcere, nec in opere rustico durare potest: hiscit enim rimis, & a ventis laceratur. Fici foliis se adhuc tegunt, quotquot nuditatem ac turpitudinem suam, hoc est, malam conscientiam & peccata sua, variis operibus extra Christum obuelare conantur, qui, vbi increbuerit vox iudicii, sentient, se non posse consistere: quemadmodum nec Adam & Eua, audientes vocem Domini.*

Substitutæ a Deo in ficulneorum tegumentorum locum tunicæ pelliceæ. Quæritur vero, anne sic species mactatorum pecorum fuerit exstincta?

§. XXV. Quoniam igitur ficulnea folia ad rem parum apta fuerunt, *fecit Dominus Deus Adamo & vxori eius tunicas pelliceas, ac vestiuit eos*, Gen. III, 21. quæ pelliceæ tunicæ multo quidem, quam ficulnea perizomata, vtiliores commodioresque lapsis parentibus exstiterunt: sed quum secundum paraphrasin Chaldaicam IONATHANIS illæ *pro pulchritudine ipsorum, qua exuti erant*, successerint, credibile est, ingens desiderium amissæ huius pulchritudinis apud protoplastos relictum fuisse. Patet autem ex loco adducto, primo, pelliceas vestes fuisse omnium antiquissimas, deinde, earum inuentionem ipsi deberi Deo. Quod ad prius, ipsi quodammodo consentiunt auctores ethnici. Nam

LVCRE-

LVCRETIVS lib. V. cum docuisset, primos mortales nondum sciuisse

- - - - *vti*

Pellibus, & spoliis corpus vestire ferarum,

hæc subdit. *Inde casas - - ac pelles ignemque pararunt.* Vide IO. CLERICVM Comm. ad l. c. qui tamen coacto interpretamento tum ex *subligaculis* modo dictis, tum ex *tunicis pelliceis* fatit *tabernacula*, foliis ramisque ficulneis, vel pellibus contecta. Quod vero ad posterius, libet nobis adscribere verba CLERICI l. c. *Illo tempore*, inquit, *necesse pæne fuit, multa a Deo homines doceri, sine quibus miserum nimis fuisset humanum genus.* Θεὸς ἔνεμεν αὐτὺς αὐτὸς ἐπιστατῶν, *ait* PLATO *in* POLITICO, *ubi multa in hanc rem.* Cæterum, si lapsus Protoplastorum a creatione (vt verisimile est) non longe abfuit, quæritur ergo, quo modo vtrique primorum parentum tunicæ *e pellibus* paratæ sint, vt species mactatorum pecorum, quorum exuviæ hominibus vestiendis inseruierunt, non fuerint exstinctæ? Sed, nimirum, si ex analogia τῆς ἀνακτίσεως in diluuio iudicare licet, probabile est, animantia alia quidem gemina, seu per paria, alia vero septena creata fuisse, prout vel munda essent, vel immunda: plane vt tempore imminentis diluuii Deus Noacho, *de omni pecore mundo*, inquit, *accipies tibi septena, marem & femellam eius, & de pecore immundo bina, marem & femellam eius*, cetera, Gen. VII, 2. 3. Quod si supponatur, dubium illud adlatum solutu facile erit, cum licet de mundis animantibus aliqua siue ad esum, siue ad victimas, mactata fuerint, tamen in saluo fuerit illorum animantium familia.

Subsequutæ, præter pelliceas, byssinæ ac lineæ vestes, eæque vel ordinariæ, vel festivæ, vel lugubres.

§. XXVI. Sæculis ante & post diluuium subsequutis, præter pelliceas, aliæ vestes, eæque molliores, siue byssinæ siue ex aliis materiis paratæ, in vsu fuerunt. אדרת שער, seu *toga villosa*, quali postmodum prophetæ, siue veri, siue falsi nominis, vsi sunt 2 Reg. I, 8. Zach. XIII, 4. Matth. III, 4. & Hebr. XI, 37. in historia natiuitatis Esaui commemoratur Gen. XXV, 25. *byssinæ* vero *vestes*, in historia Iosephi c. XLI, 42. *Byssus* autem, Hebræis שש vel בוץ dicta, genus præstantissimi lini Aegyptiaci

aci fuit, coll. Ex. XXXIX, 28. & Ez. XXVII, 7. Ac *lineæ* quidem veſtes his, qui calidius clima colunt, æſtiuo tempore commodisſimæ; quia, ſi quid immunditiei ex crebriore ſudore contraxerunt, aquis lauari, & ablutæ in locum immundarum commode ſurrogari poſſunt: id quod vocatur החליף שמלות *permutare veſtes*, & ſacra adituris maxime ſolemne erat, coll. Gen. XXXV, 2. Sunt autem veſtes omnes vel ordinariæ & quotidianæ, vel feſtiuæ, vel lugubres. Hæ in luctu ac pœnitentia locum habuerunt; ut quum Ioſephus, audito nuncio, quaſi Ioſephus a feris diſcerptus eſſet, *veſtibus ſuis ordinariis laceratis, ſaccum poſuit in lumbis ſuis*, c. XXXVII, 34. vbi caue, per *ſaccum* intelligas receptaculum ex craſſiore lino factum condendo frumento, vt c. XLII, 25. potius eſt genus veſtis lugubris, anguſta forma, ex hircorum ſeu caprorum pilis contextum, colore nigrum, Latinis *cilicium* dictum, coll. Eſth. IV, 1. 2. 3. σάκκος τρίχινος Apoc. VI, 12. Illæ vero, videlicet *feſtiuæ* veſtes, tales ſunt vel pretio, vt *veſtes Eſaui* החמדת *pretioſiores*, quas mater domi ſeruabat c. XXVII, 15. vel *munditie*, i. e. lotæ candidæque, vt, quum Iacobus, Bethelem ad ſacra facienda profecturus, familiæ ſuæ, *Mundate vos*, inquit, *& permutate veſtes veſtras*, Gen. XXXV, 2. dictæ tum hæ tum illæ חליפות שמלות *permutationes veſtium*, ſeu *veſtes mutatoriæ*, quibus habitus permutari poſſit, *Luthero* Feyer-Kleider, non ab *igne* Feuer, vt perperam nonnulli intelligunt, ſed a *feriis*, hoc eſt, *feſtiuæ*, Gen. XLV, 22. De ordinariis nihil eſt amplius, quod moneamus.

§. XXVII. Obſeruamus porro, veſtes pro diuerſitate ſexuum fuiſſe vel viriles vel femininas. Nec enim eſt dubium, quin patriarchali iam tempore obtinuerit, quod poſtmodum Moſaica lege populo Iſraelitico inprimis ſancitum eſt Deut. XXII, 5. *Ne ſit vas* (veſtis) *viri ſuper mulierem, & ne induat vir veſtem mulieris; quoniam abominabilis Domino Deo tuo eſt quisquis hæc facit.* Quædam tamen veſtimentorum genera, quibus & ornamenta pretioſiora, ex auro, argento & gemmis facta, accenſemus, vtrique ſexui fuerunt communia: vt הנזמים

Veſtes vel viriles, vel femininæ, vel vtrique ſexui communes. In his monilia, in iſtis annulus & faſcia.

monilia,

monilia, ſeu *circuli aurei*, qui ornatus primo vel naſi vel aurium, deinde vel feminarum vel marium fuit. Nam Gen. XXIV, 22. de ſeruo Abrahami dicitur: *Sumſit vir ille* (nempe, quod ſubauditur, vt muneris loco offerret futuræ Iſaaci ſponſæ) נזם זהב *monile aureum, cuius pondus eſſet Beka*, hoc eſt, dimidium ſicli, coll. Ex. XXXVIII, 26. Vbi caue, cum LXX Interpretibus ἐνώτια, ſeu cum Latino interprete *inaures* intelligas, ſignificatu ſaltem proprio: quia ſic regulariter dicendum fuiſſet, non נזם *monile* in Singulari, ſed נזמי *monilia*, vel שתי נזמי *duo monilia*. Potius l. c. intelligitur *circulus* aureus naſi, hoc eſt, naſo impendens, vel per nares transfixus. Dicit enim ſeruus v. 47. ואשם הנזם על אפה *poſui monile illud ſuper naſum eius*. Conf. Ezech. XVI, 12. & נזמי האף *monilia naſi* Eſa. III, 21. Recteque ABR. B. EZRA Comm. ad Gen. XXIV, 22. *Eſt*, inquit, *duplex* נזם ſeu *monile, vnum in naſo, alterum in aure: monile, quod naſo imminet, deſuper deſcendit, filo in fronte alligatum*. Qui muliebris ornatus cum noſtris hominibus non adeo notus, ac paradoxus noſtris moribus ſit; igitur, ad intelligentiam ſacri textus, nobis ediſſerendus eſt. B. HIERONYMVS Comm. ad Ezech. IV. *Verbum*, inquit, *Hebraicum* נזם, *excepto Symmacho, qui interpretatus eſt* ἐπιῤῥίνιον, *omnes inaurem tranſtulerunt: non quo inaures ponantur in naribus, quæ ex eo, quod de auribus pendeant, inaures vocantur: ſed quo circulus in ſimilitudinem factus inaurium, eodem vocabulo nuncupetur: & vſque hodie, inter cætera ornamenta mulierum, ſolent aurei circuli in os ex fronte pendere, & imminere naribus*. Quod vero huiusmodi monile etiam naribus ipſis inſertum Orientales feminæ geſtent aliquando, de eo vide ſis, Cl. WALTHERI, Miſſionarii Danici, epiſtolam ad *Præſidem* Tranquebaria datam in der XXIVten Continuation des Berichts aus Oſt-Indien p. 1009. Hactenus de *monilibus narium muliebribus*. Idem contra vocabulum notat *ornatum aurium*, ipſis conſuetum *maribus*, Gen. XXXV, 4. *Tradiderunt* familia Iacobi, & quicunque ad eum pertinebant, *omnes deaſtros peregrinos, quos tenebant*, ואת הנזמים *& monilia, quæ erant in auribus eorum: & defodit eos Iacobus ſub ilice, quæ eſt infra Sichemum*. Quo

loco

loco tamen non vulgaria intelliguntur monilia, hoc est, ad merum ornatum spectantia, ac adeo indifferentia, sed sacra, seu potius superstitiosa, amuleti instar, ad malum quodpiam auerruncandum, gestata: de quibus vid. CLERICVS Comm. ad l. c. Vnde euenit forte, vt ab hac annulorum seu monilium specie monilia in vniuersum Chaldæis & Syris קדשים, quasi *consecrata*, fuerint dicta, per synecdochen. Ratio, cur superstitiosa intelligi debeant monilia, est gemina: primo, quia coordinantur deastris peregrinis; deinde, quia, tanquam superstitionis instrumenta, vna cum deastris ab Iacobo sub ilice defossa sunt. Porro in virili ornatu fuerunt quoque חותם *annulus sigillatorius*, & פתילים *filamenta*, quæ Thamara, meretricem mentiens, ab socero suo Iuda, vna cum baculo, pignoris loco exegit, Gen. XXXVIII, 18. vbi *Clericus* scite confert *Herodotum* lib. I. c. 195. obseruantem, sic instructos processisse Babylonios: *Singuli sigillum & sceptrum habent.* Per פתילים autem, seu *filamenta*, fasciam e contortis filis, qua cinctus fuit Iudas, commodissime forte intellexeris.

Muliebris vestitus virginum, vxorum, viduarum, itemque piarum ac impiarum diuersus.

§. XXVIII. Vt autem de muliebribus vestibus aliqua adiiciamus, singulare hoc fuit veteris Orientis institutum, quod mulieres pro diuerso statu, prout vel virgines, vel coniugatæ, vel viduæ essent, habitu aliæ ab aliis distinctæ fuerint. Nam licet mulieres velari alias quoque consueuerint, sicut legimus Rebeccam conspecto sponso Isaaco, se obtexisse sumto הצעיף *velo*, Gen. XXIV, 65. itemque Thamaram, c. XXXVIII, 14. tamen coniugatas mulieres singulari modo velatas fuisse, velari saltem debuisse, ex Saræ historia colligimus: quam cum Abimelechus pro virgine habitam ducere voluisset, redditam diuino monitu Abrahamo donat mille argenteis, aiens: *Ecce illud argentum esto tibi velamen oculorum coram omnibus, qui apud te sunt*; nempe vt maritatam te esse intelligant, nec pari modo ac ego tua caussa periculum subeant. Et Thamara extra illum casum, quo soceri concubitum meretricio gestu suffuratura erat, amicta fuisse legitur בגדי אלמנותה *vestibus viduitatis suæ*, seu vidualibus, c. XXXVIII, 14. 19. Porro licet in piarum mulierum patriarchalium vestitu non defuerit aureus atque argenteus ornatus monilium armillarumque c. XXIV, 22. & vestium pretiosarum v. 53. inprimis, vbi solemnitas eum videbatur exposcere; tamen ad modestiam morumque castitatem fuit compositus, vti nos docet Apostolus 1 Tim. II, 9. 10. 1 Petr. III, 3. 4. 5. Cainiticarum contra mulierum habitus (si *Pseudo-Ionathani* in Paraphrasi ad Gen. VI, 2. credimus) ad luxum & libidinem totus comparatus fuit. Ita enim ille l. c. habet: *Viderunt filii optimatum filias hominum, quod pulchræ essent, & fucantes faciem, & discernentes capillos, & ambulantes cum manifestatione carnis & cogitatione scortationis.*

§. XXIX. Ceterum, vt Patriarcharum αὐτάρκεια, in amictu non minus quam victu, laudem meretur, & exemplo nobis esse debet, vt contenti simus, si necessaria nobis suppetant vitæ instrumenta, exemplo pii Iacobi, qui in Mesopotamiam proficiscens, nihil vltra sibi a Deo vouebat, quam *panem*

ad

ad comedendum, & vestem ad induendum, Gen. XXVIII, 20. ita tamen existimandum non est, quasi patriarchæ in vestium siue materia, siue forma & accidentibus aliis, peruicaces & ἰδιογνώμονες fuissent; ita vt v.g. pellibus tantum, exemplo Adami & Euæ, non item lineis laneisque vestibus; aut atro tantum fuscoue, nec aliis coloribus; aut eo tantum modulo typoque vestium, quem Deus ipse primis parentibus aptauerat, nec aliis formulis, vti voluissent; aut, quod maius est, hanc diuersitatem timori Numinis aduersari statuissent. Immo vidimus Rebeccæ ab Abrahami seruo data esse aurea monilia cum armillis, Esauum item, præter quotidianas vestes, habuisse החמדות *pretiosas* atque festiuas, quas mater pia domi suæ ipsa ei seruauit c. XXVII, 15. Sed & pius ille Iosephus, dum adhuc domi esset, gestauit כתנת פסים, χιτῶνα ποικίλον, *tunicam versicolorem* atque *Attalicam*, c. XXXVII, 3. habitum, qui postea regiorum liberorum fuit 2 Sam. XIII, 18. Idemque cum diuina prouidentia in excelso dignitatis fastigio collocatus esset, *byssinis* se *vestibus* indui, *aureaque torque* collum ornari passus est, Gen. XLI, 42. Hoc vno igitur ab impiis hominibus diuortium fecerunt, quod modestiam tuiti sunt contra sæculi sui leuitatem, luxuriam & vanitatem.

NOBILISSIMO CANDIDATO
S. D. PRAESES.

ABsoluisti nunc bono cum Deo antiquitates œconomiæ patriarchalis, quas geminæ disputationis, sub meo habendæ præsidio materiam esse voluisti: argumentum, quod studiis Tuis quam maxime conueniret, quodque non minus iucundum, quam vtile, & tum ad totius Geneseos Mosaicæ, tum ad patriarchalium inprimis rerum intelligentiam esset necessarium; dignum proinde, in quo non Tua solum se exerceret industria, sed & lectores quilibet, quibus sacræ litteræ curæ cordique sunt, studium & attentionem suam defigerent: inprimis, cum velut in speculo pulcherrimum nobis repræsentet exemplar rei familiaris, in fide atque timore Numinis prudenter feliciterque administrandæ. Quodsi in posterum, ac per omnem vitam, ad hoc patriarchale speculum oculos mentemque conuerteris, & patriarcharum animo Tuum penitus conformare studueris, equidem non dubito, quin eius rei fructum amplissimum habiturus, Deoque gratus, ecclesiæ vero, cuius vsibus ac ministerio Te consecrauisti, vtilis sis futurus. Quod reliquum est, gratulor Tibi honores Philosophicos, quos, ab amplissimo Philosophorum ordine iam Tibi decretos, præmium diligentiæ Tuæ, abhinc proxime accipies: eosque Tibi salutares & quam auspicatissimos esse cupio. Vale. Dabam d. XII. Iul. CIƆ IƆCC XXIX.

(o)